



NECROLOGIA



Beata quattuor confratrum mors

1. P. Julianus Bayens, Prov. Belg. (1880-1955), postquam per 45 annos in terra flandrica zelantis missionarii vitam degerat, primum adscriptus collegio Roeselare, inde ex a. 1928 collegio novo Gent, in fine per infirmitatem fere unius anni patienter toleratam optime sese ad bonam mortem praeparavit. Quandoque tamen suspirabat: « O longam exspectationem, quando iamdiu sarcinulae paratae sunt! ». Fer. VI 28 Oct. 1955 audiebatur sublevatis ad caelum brachiis ita orare:

« Domine Iesu, benedic nostrae Congregationi!
Domine Iesu, benedic Superioribus nostris!

Domine Iesu, benedic Patribus et Fratribus nostris!

Domine Iesu, benedic Studentibus et Novitiis nostris!

Domine Iesu, benedic omnibus! ».

Tum, demissis brachiis lassis, repetebat iaculatorias preces Congregatis familiares. Fideli nosocomo h. 17 dixit: « Mane mecum, Frater Crescenti; haec enim erit ultima mea nox ». Revera versus h. 23 nova crisis cardiaca eum sui cognitione privavit, et sabbato h. 2,40, praesente pristino suo Rectore P. Vercouter, in pace Christi exspiravit. Erat omnium una vox: « *Nous ne pouvons nous imaginer une mort plus édifiante!* ».

Vide *Chroniques*, N. 63, p. 3.